Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8391
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

quia obliti sunt verba tua in-
imici mei / Illud quoque / Defectio
tenuit me pro peccatoribus dere-
linquentibus legem tuam / Et
Nonne qui oderunt te domine
oderam et super inimicos tu-
os tabescebam Et illud sapien-
tis caute observat / filie tibi
aut sunt / Noli ostendere letum
vultum ad ipsas ut scilicet
teneris et mollibus et fluc-
tuantibus disciplinam non can-
dorem serenitatis / sed obscu-
rum severitatis adhibeat
Vel decolorari a sole est contristari
caritate fraterna / flere cum
flentibus / cum infirmanti-
bus infirmari / vel ad scan-
dala singulorum / Vel sic sol
iustitie decoloravit me Christus
tuus amore languens / Lan-
guor iste coloris quedam ex-
terminatio est / et defectus in
desiderio amoris Unde et dicit
Memor fui dei et delectatus sum
et exercitatus sum et defecit
spiritus meus Certo instar uren-
tis solis desiderii ardor / pere-
grinantem in corpore decolorat
dum vultum glorie inhiantem
impatientem facit repulsa
et excruciat amante dilatio
Anima mea ita sancto amore
ardet / ut desiderio videndi Christum
omnem colorem presentis glorie
letitieque fastidiat et deponat

illa ei prophetica voce contestans
Et diem hominis non desideravi
tu scis / Item cum sancto David /
Renuit consolari anima mea
id est presentium bonorum inanem
letitiam despexit colorari / Vel certe
decoloravit me sol sui nimirum
comparatione splendoris / dum appropi-
ans illi ex eo me obscuram depre-
hendo nigram immo fedam
despicio / Ceterum alias quidem
formosa sum / Quid fuscam
dicitis solius solis pulchritudini
succumbentem At sensui priori
videntur magis assentire ea que
sequuntur / adiciens siquidem
filii matris mee pugnaverunt
contra me persecutionem passam
se esse aperte significat / Ver-
umtamen aliud sermonis principium
ordietur / quoniam sufficere hec vide-
antur que accepimus de gloria
sponsi ecclesie / et dono ipsius qui
est benedictus deus in secula Amen.

Fily Tricesimus ·3·
matris matris
mee pugnaverunt
contra me · Annas et Cay-
phas et Iudas Scarioth filii
synagoge fuerunt et hii cont-
ra ecclesiam eque synagoge filiam
in ipso exortu ipsius acerrime
pugnaverunt suspendentes
in ligno collectorem ipsius Christum
Tamen tunc siquidem implevit